

## XCV. AENARIA (p. 679).

Rivaziani libri quintam editionem a. 1846 factam postea excusserunt amici; item, sed nullo nostro commodo, commentariolum Francisci DE SIANO *brevi e succinte notizie di storia naturale e civile dell' isola d' Ischia impressum sine loco et anno.*

ad n. 6794. Delineatum anaglyphum reperitur (una cum n. 6789) inter tabulas paratas ad antiquitates Herculenses edendas vol. I n. 83 sic:

P · DASIMIVS · PRIMVS  
NYMPHIS · V · S

ad n. 6800. Edidit primus Chevalley de Rivaz ed. 5 (1846) p. 50, ex quo sumpsit d'Ascia.

ad n. 6801. Edidit primus Chevalley de Rivaz ed. 5 (1846) p. 50, unde venit loci indicatio Asciana.

ad n. 6805. Quae hodie cernuntur, edidit Chevalley ed. 5 p. 49.

## VIAE PVBLICAE REGIONVM I. III.

## II. VIA APPIA (p. 682).

ad n. 6812. 6813. Quo loco inventa sit columna, tradit aequalis Flaminius Vacca in commentariorum scriptorum a. 1594 c. 67 ed. Schreiber.: *alle radici del monte Tarpeio verso il teatro di Marcello vi fu trovata la colonna milliaria, che hoggi sta su la piazza del Campidoglio, e stava in opera in quel luogo, dove fu ritrovata.* Convenit igitur Vacca fere cum aequali Ligorio; nam ecclesia S. Angeli [pro S. Agnese scribendum est S. Agnelo] in Pescaria proxima est theatro Marcelli. Itaque iam constat columnam inventam esse non loco suo, sed in opere positam in ipsa urbe; eo utrum venerit ex domo Maximorum ad campum Florae *alle colonne* (quae tamen longius distat a theatro Marcelli) an columna Maximorum a Capitolina diversa fuerit, ambiguum est. — Fabrettius in tractatu de aquis (1680) c. 48 quod scribit columnam miliariam lapidis I in Capitolium postea translata repertam esse 'in vinea nobb. de Naris, quae prima est ad dexteram exeuntibus a recenti porta sancti Sebastiani', id quo teste tradiderit saeculo post columnam in Capitolio a. 1580 collocatam, quaeritur, quaesivitque iam Revillas in comm. citato (1742) p. 89 seq.: *L' abate (Francesco) Valerio crede d' avere molti anni sono osservata nel muro, che cinge la suddetta vigna, scolpita in marmo a qualche distanza dalla porta di S. Sebastiano una memoria, la quale indicava esser quello il luogo del ritrovamento della colonna: lo che molto s' accorda con ciò che asserisce il . . . Ficononi, che lo fa vicino alla nuova casa fabbricata non sono moll' anni in detta vigna sopra la strada.* Sed ipsum eum lapidem Revillas frustra indagavit, magisque Fabrettius videtur secutus esse narrationes accolarum fidei parum certae. Temere omnino Canina, tamquam de loco inventae columnae constaret, inde portae Capenae situm determinavit (ann. inst. arch. 1853 p. 134. 144; via App. p. 35. 53).

ad n. 6819. *Nella Torre di tre Ponti piantata sul parapetto del ponte verso Sermoneta* collocat Pantanellius in schedis Praenestinis.

ad n. 6820. Pantanellius l. c. legit ~~xxviii~~ (non ~~xxviii~~).

ad n. 6829. In agro Setino 'in ponte per Appiam' collocat Pantanellius de sacro princ. Terracinae ms. p. 29.

ad n. 6849. Canina quoque (via App. p. 250 seq.) his mensuris usus est ad determinandum pedem Romanum.

ad n. 6853. Hic est opinor titulus quem loco non adscripto profert Ferrarinus Par. f. 142 in suppl. (una cum n. 6850), Reg. f. 23': IMP· CAESAR | DIVI·NERVAE | FILIVS·NERVA | TRAIANVS·AVG | GERMANICVS | DATICVS·PONTIF | MAXIMVS·TRIBVN | POTESTAT·XIII | . . .

ad n. 6868. Ed. Iannelli in actis Casertanis a. 1880 p. 60.

## III. VIAE LABICANA LATINA PRAENESTINA (p. 695).

8306 fragmentum columnae marmoreae, pozzo  
in una masseria fuori Porta Maggiore.

ST  
PETVO  
ICTO  
aug

E. Huebner descripsit a. 1857.  
Maxentii fuit ut n. 6881. 6882. 6886.